Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1863
Quelle:
Copyright:

Autoris damnati? Accedit Sermo de S. Antonio, quem vix Augustiniano prae Franciscano adscribas. — His ita mecum expensis venit in mentem *Quadragesimalis Jacobi de Voragine*, de quo ipse ita in *Chronica* sua *Januensi: Fecit et sermones de omnibus evangeliis, quæ singulis feriis in quadragesima leguntur — usque ad tertiam feriam post pascha, de quolibet evangelio faciens duos sermones. Istud opus sic incipit: Filia populi mei induere cilicio* &c. Consulo Editiones, et ipsissimum *Quadragesimale* nostrum deprehendo, quod cum imperitus F. *Nicolaus Michaeli* cuidam inscripsisset, peritior Revisor inscriptioni lineam induxit, quin tamen Autoris genuini nomen reponeret. Atque haec non raro conjecturarum nostrarum sors est. Ceterum Codex in Bohemia exaratus videtur e voce *Mutha*, vulgo *Maut*, quo nomine duo sunt ibidem Oppida. Pro *Mutha* etiam *Mita*, quin et *Mutina* occurrit, quod fortasse Diminutivum est.

DCCLXXV.

U. 576 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 214. 4. per duas columnas luculente perscriptus, rubro distinctus, et quondam *M. Johannis Drossinger*, ita inscribitur: *Incipiunt sermones quadragesimales compilati per fratrum Jacobum de uaragine archiepiscopum Januensem.* Vir hic maxime notus a congestis SS. Vitis, seu *Legenda*, quae successu temporis *Aurea* et *Lombardica* dicta, in plures linguas versa, et ab inventa Typographia multoties excusa fuit, ortu *Ligur* ab oppido patrio *Varagio*, *Varaze*, *Viraze* corrupte saepius adpellatus *de Voragine*, ex Ordine Praed. adsumtus ad *Januenses* insulas obiit a. 1298. Igitur Codex noster ejus tempora prope contingit. De eo ipsemet ita in *Chronico* suo *Januensi: Fecit et sermones de omnibus evangeliis, quae in singulis feriis in quadragesima leguntur, scilicet a quarta feria cinerum usque ad tertiam feriam post pascha, de quolibet evangelio faciens duos sermones. Istud opus sic incipit: Filia populi mei induere cilicio.* Addam: et finit: *et beati dominici patris nostri ipse filius dei nos perducat qui cum patre et spiritu sancto per infinita secula regnat Amen.* Editiones hujus *Quadragesimalis* et alia ad Autorem pertinentia praesto sunt in *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 454.

DCCLXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3151
XIV. Folior. nunc 92. 4. partim per duas columnas, partim lineis longis exaratus a diversis, rubro distinctus et olim *Monasterij S. dorothee in Wienna* compilatus est e sequentibus: I. *Sermo Wilhelmi in aduentu primus.* Incipit: *Dies autem appropinquavit* &c. *Dies iste spiritualiter potest intelligi dies natalis domini* &c. Est igitur Series Sermonum in Epistolas Dominicarum per annum *Guilielmi*, quem Germani passim *Wilhelmum* scribunt, non *Alverni* sive Ep. *Parisien-*